



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

XIX. Beneficium idem A catholicis à B. virg. exhibitum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

liam : ubi confessus, & sacrâ Synaxi refectus hac mihi  
censuit. Anno etiam sequenti, memor accepti beneficii, ip-  
sum fecit.

### CAPUT XIX.

Idem beneficium A catholicis à B. V. Lindensi exhibitum.

**S** lego hoc loco illud regii vatis usurpem, Filii alie-  
ni in veterari sunt, & claudicaverunt à semitis suis (a)  
haud ab re abludam. Illi enim, ut cum Græca expolice  
tione apud Corderium loquar, QUI FILII appellati, at-  
que in filiorum ordinem relati sunt, alienos se reddiderunt,  
cum beneficium ingrati extiterint; & circa fidem claudica-  
verint, & piam semitam dereliquerint. Quid si enim  
cum Augustino ad eundem locum dicerem. Filii non  
mei, sed potius alieni; quibus dicitur, vos ex parte diaboli  
estis (b) Neque tamen istis quoque, quantum vis alie-  
nis, nec minus à fide, quàm à recto gressuum tramite  
claudicantibus, benignissima apud suam Lindam  
Mater DEI, solet deesse; ut, quæ aliorum pedes erigit  
ad mores, istorum erigat ad fidem; quorum plerique  
tandem, cum eodem vate regio canere possint: Edu-  
xit me de lacu miseria, & de luto fecit, & statuit supra  
petram pedes meos, & direxit gressus meos (c) Alacum  
saria (ut Didymus in Catena ait) hoc est prava idolola-  
tria (quidni & hæreticæ infidelitatis) & luto facis, id  
est, sordidâ vivendi ratione, me erexit; & statuit supra pe-  
tram, inconcussam scilicet & constantem fidei confesio-  
nem.

(a) Psalm. 17. 46. περί τῶν πῆσιν χωλαίνωντες. (b)  
Ioann. 8. 44. (c) Psalm. 39. 3.

I. Puell.

## I.

Puella ad annum ætatis decimum quintum humi reptans, apud B. V. Lindenſem repente ſanata.

Quo id anno evenerit, nō prodidit Ciaritius; rem tamen ipſam, uti evenit, ex fide hunc in modum (a) prodidit. *Barbara puella, ex Viderino pago, qui milliariſ circiter diſtat Lindā, à tenera ætate, caſu gravi afflicta, clauda effecta ad annum decimum quintum uſq; humi potius reprobat, quàm incedebat. Poſt longa tandem & acerba membrorum tormenta, quorundam ſuaſu, voto ritè emiſſo, ad hunc locum ſe contulit. Et quæ ſcipioni grallis quæ innixa venerat, voto ſoluto, ſolidatis pedibus, DEO ac Virgine MARIÆ gratias agens, nullo adminiculo opus habens, demum reverſa eſt.*

## II.

Puella incurabili fiſtulā affectum habens pedem, voto ad B. V. Lindenſem factō, curata.

Quod Lucillo Epifcopo Syniceniſi, divinitus obſiſſe memorat S. Auguſtinus (b) nimirum ut piā Reliquiarum S. Stephani Protomartyris ſarcinæ veſtatione atque ipſarum actu reliquiarum à fiſtula, quæ diu graviffime quæ afflicta erat, extemplo liberaretur; id ipſum propè, ex nuncupato ad B. V. Lindenſem voto, evenit Hedwigi puellæ ex oppidulo Widdimin, octo circiter leucas Lindā diſſito oriundæ, ad x. Calend. Novemb. Anni MDCXXII. Degebat ea, ut Ciaritius memorat, in pago Ruſticaimenſi, Bartenſtenienſis coloniæ, & pedem ſiniſtrum incurabili fiſtulā diu graviter quæ affectum habebat.

X 2

Mug

(a) num. 13. (b) lib. 22. civis. cap. 2.

Mulier quædam, haud ignara beneficiorum, quæ  
 pud Lindam Marianam divinitus affatim obvenit,  
 consilium miseræ dat, ut ad idem se præsidium re-  
 peret. Audit probè monentem, & votum ad eundem  
 Lindæ nuncupavit; neque diu pòst sanitati pristina  
 est restituta.

## CAPUT XX.

Epilepsia ope Deiparæ Lindensis curata.

**E**Pilepsia sive sacer morbus, aliàs etjam lonicu-  
 dici solitus, & comitialis) eò quòd Comitia apud  
 Romanos, si quem interea morbo illo corripì conti-  
 gisset, dissolvi necesse esset) vulgo *caducus* appellatur.  
 Qui in sacra Evangeliorum historia, eo morbi gene-  
 re affecti leguntur, *lunatici* appellantur (a) eò, quòd  
 morbus ille, sive ad ipsius Lunæ mutationes, sive (ut  
 Origenes, Chrysostomus & Hieronymus ad eandem  
 Evangelii historiam commentantur) ad dæmonum,  
 lunæ mutationibus ab utentium operam, suas vires  
 atque incrementa sumat. Luna enim phlegmaticos  
 ac melancholicos, quibus ipsa dominatur, cerebri  
 humores ac spiritus, plenilunio ac novilunio maxime  
 commovet: qui quidem, aut per sese, aut maligno-  
 rum concursu spirituum, cerebrum turbant; spumas  
 & totius corporis agitationes collisionesque cient.  
 Genus morbi difficillimum curatu, ad eò ut hinc et-  
 jam *Herculeus* à Medicis vocetur; non quidem idcir-  
 co, quòd ut, vulgus censet, Hercules eo laboravit; sed  
 potius quòd, ut Medici ipsi loquuntur, Herculei ad  
 ejus curationem viribus atque industriâ opus sit. Cz-  
 terùm Deiparæ Lindensis, hujus quoque morbi cura

(a) *Matth. 17. 15.*